



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 138. Seditio a Brugensibus, & Gandavensibus mota

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

mentum cunctos, qui de Magia accusantur, innoxios dimittit, nisi simul veneni propinati convincantur; si vero quosdam alios capitis damnat, solerter cavet, ne quid sententiæ capitalis tabulis inferatur, quo plebs in sua de incantationum vi, nocturnisque congressibus, in quibus diabolus adorari credunt, opinione firmari posset.

## §. CXXXVIII.

*Seditio a Brugensibus & Gandavensibus mota.*

Nec Burgundiæ Dux in Flandria ab adversa Fortuna penitus immunis permansit; Brugenses quippe antehac rebelles Ducem suum denuo in urbem receperant, ut seditionis culpam saltem specietenus repararent. Ast Duce vix urbem ingresso, in ejus milites irruunt, & plusquam centum trucidant, quos inter etiam Liladamus numerabatur. Ipse quoque Dux extremo vitæ periculo expositus, ægerrime eorum manus per portas civitatis effugit. Tum seditiosi prospero hoc successu elati, in totam quaquaversus regionem prædatum excurrebant. Verum cum aliæ urbes eorum temeritatem redarguerent, ipseque Dux cum validis copiis ad urbem expugnandam adventaret, illorum furor deferbuit. Inde Ducis clementiam implorabant,

C c 4 veniam-

**Sæcul. XV.** veniamque rogabant, quam tamen non-  
**A. C. 1452.** nisi duris admodum conditionibus im-  
 petrarunt; ducenta quippe aureorum  
 millia pendere compulsi, ac compluribus  
 urbis immunitatibus spoliati sunt; præ-  
 terea duodecim aut quindecim præcipui  
 seditionis incentores capite plexi.

Neque hic infesta Ducis fortuna ste-  
 tit, sed aliam longe atrociorē in ejus  
 caput tempestatem concitarunt complu-  
 res Gandavensium seditiones, inter quas  
 tamen maximi discriminis erat ea, quæ  
 ineunte hoc anno fuit conflata. Duxe-  
 nim in Flandria stabili lege ex salis com-  
 mercio vectigal imponere moliebatur, &  
 pro quolibet cado salis viginti quatuor  
 sextarios monetæ vulgaris pendi præci-  
 piebat. Gandavenses potius extrema  
 quæque perpeti, mortemque oppetere,  
 quam ejusmodi oneri subjacere decreve-  
 rant, Galliarum Regis præsidio confisi,  
 qui etiam pro tuenda Gandavensium  
 causa ad Burgundiæ Ducem acres ad-  
 modum literas dedit. Cum vero Bur-  
 gundus acriori adhuc calamo rescripsis-  
 set, Rex extraneo cum Anglis bello non-  
 dum expeditus, intestino sese implicare  
 haud consultum censuit. Nec tamen  
 propterea Gandavenses animo concide-  
 rant, sed quinque sexve præliis devicti  
 ob ipsosmet hosce infaustos belli succes-  
 sus